

Iudem, quodq; per Baptismum offeratur gratia Dei,  
Et quod pueri sint Baptisandi qui per Baptismum ob  
lati Deo recipiantur in gratiam Dei.

Damnant Anabaptistas, qui improbant baptis-  
mum puerorum & affirmant pueros sine baptismo  
saluos fieri.

X.

De Coena Domini docent, quod corpus & san-  
guis Christi vere adsint, & distribuuntur vescentibus  
in coena Domini, & improbant secus docentes.

XI.

De confessione docent, quod absolutio priuata  
in Ecclesijs retinenda sit, quanq; in confessione non  
sit necessaria omnium delictorum enumeratio. Est  
enim impossibilis iuxta Psalmum, Delicta quis intel-  
ligit?

XII.

De poenitentia docent, quod lapsis post Bap-  
tismum contingere possit, remissio peccatorum, quo-  
cunq; tempore cum conuertuntur. Et quod Ecclesia  
talibus redeuntibus ad poenitentiam absolutionem  
impartiri debeat.

Constat autem poenitentia proprie his duabus  
partibus, Altera est, cōtricio seu terrores incussi con-  
scientiæ agnito peccato. Altera est, fides quæ concipi-  
tur ex Euangelio seu absolutione, & credit propter  
Christum remitti peccata, & consolatur conscientis

B iij am, &